



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Simeon Conf. 26. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**



bat ex parentum, non virginis, voluntate, Obolenus homo non tam sanguine, quàm sceleribus notabilis, cum ecce rege iubente nuptialis pompa in funebrem abit, & hujus imperio Obolenus in carcerem non thalamum ducitur, sceleris convictus, mortem subit non lectum, lessum audit non Hymenæum. Vix hanc pugnam castitas pugnavit, cum altera excipit victricem. Despondent iterum homini GLOBESINDEM, & melioribus jam, ut ipsi putabant, auspiciis. Quid ageret pudor bis proditus? more Parthi fugiendo vincit. ad D. Stephani contendit, asylon aramprehendit, & quem unum deperibat, Sponsum JESVM complectitur. Hederam viti illigatam dixisses. Et jam septimus dies ierat, & virgo cæli deliciis plena non senserat famem, cum apparantur palam & in conspectu populi nuptiæ placituræ tandem ipsi etiam virginis. Adfunt è cælo nitidissimi duo Ephebi Paranymphe, tertius flammeo inde etiam allato non repugnantem obnubit, jamque urbe attonitâ, jam parentibus etiam gaudentibus, GLODESINDIS in thalamum suum (Virginum Collegium) abducitur. *Ex Surio.*

*Cura habere lilia penes te, si vis habere Deum habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum lilia esse protestantur moralis quidam rerum ipsarum candor atque odor. S. Bern. Serm. 71. in Cant.*

## S. SIMEON CONF. 26. Iulii.

Mundum omnem suis beneficiis obambulare voluisse SIMEON videtur, etiam postquam exivit è mundo, & vel inter Monachos vel Eremitas vixit. Inter hos agenti cum fames ultima



minaretur, cervus Divo sponte suâ victimam se-  
stitit. Hierosolymæ hospes cum degeret, malos  
hospites Dæmones septem sibi fecit cedere. Ro-  
mæ hereſeos accusatus, accusatorem, quem malus  
genius corripuerat, precibus suis reus absolvit.  
Plura alia mira cum celebrem illic facerent, ho-  
nores fugâ eluſit. Fugientem cum Monachi ex  
itinere verberibus malè accepissent, conjectique  
eam ob rem in vincula ab Episcopo fuissent, SI-  
MEON noctu hostes suos è carcere exemit, &  
gloriolam iterum fugiendo vicit. Pisas cum in-  
grederetur, obvium è Styge nuntium habuit illud  
rogantem: *Quò tendis Monache?* SIMÉON hoc tan-  
tùm respòdit, *Quò me Christus duxerit,* & ecce mo-  
lestus rogator viam suam illico in orcum relegit.  
Hinc Lucam venit. Ibi cum Judæorum Antefi-  
gnanum bellum Virginitati DEIPARÆ moven-  
tem morte subitâ sterneret, reliqui manus dede-  
runt. Placentiæ noctu oraturum suoſte motu  
apertum templum recepit. Padum pedes traje-  
cit tam citò ut velis & remis usum crederes.  
Jamque quocunque iret, è viâ morbi cedebant.  
Sed nos sistimus calamum fessum. Tu quoque  
Lector, ne orbem nobiscum perambulare cogaris,  
similia illum in Galliis & Hispaniis factitasse puta.  
*Ex Ferrar.*

*Vt evadas hominem Dominum, quicumque servus  
es, fugis in ea loca, ubi non est Dominus tuus: ut eva-  
das Deum, fuge ad Deum: nam non est, quò effugias  
Deum: præsto sunt omnia & nuda omnipotentis oculis.*  
S. Aug. in Psal. 30.